

# OVATIONES

JILL CROOKER

Pharos Alexandriae, res mirabilis inter septem mirabilissimas antiqui mundi numerata, Pharos fulgentissima quae lucem spemque spargebat ac nautas longe errantes in portum tutos attrahebat non plus lucis praebebat quam femina optima quam hodie celebramus. Immo haec strenua doctaque lumen protulit non solum in suam propriam partem patriae sed etiam, propter scripta et contiones et industriam, usque in finis nostrae terrae.

In civitate praesidis illustris, magni emancipatoris, adepta gradum baccalaureae, tum in causa eruditionis colligendae migravit ad civitatem ubi etiam moratur, civitatem duorum praesidum, quoque illustrium, alterius equitis asperi, alterius garrientis prope focum. Diu habitans in municipio suburbano, proximo domo laborum praeclarorum pro suffragio feminarum, primo discipulis deinde praeceptoribus magnopere proderat, ut modis variis rationem Latinae docendae fingebat.

Nuper auctoritas crescebat extra regionem nostram, permultis in viis, nam dux fiebat variorum coeptorum, sed hoc in unum consilium, ut Latinam efficaciter praecipiamus discipulis qui vitam alacerrimam agant. Quam sermones, tam scriptas edidit ut inquisitiones iustissimae utilissimaeque fiant. Plerumque dum cessamus, aestate laborat in conventiculis magistrorum magistrarumque, idcirco fama fit maior. Tabula rerum gestarum longissima est, palmae sunt complures, et decori cordique est nobis omnibus qui hodie plaudamus Jill Crooker.

*Riverhead High School, N.Y.*  
*University of Maryland, College Park*  
*Classical World* 100.4 (2007)

JEFF GREENBERGER  
JUDITH P. HALLETT

RICHARD GASCOYNE

Ut scimus omnes, maxima flumina de rivulis minimis oriuntur, perinde ac ille quem hodie honoramus, in pago quodam rustico civitatis imperialis discipulos primos erudit, nunc, plus quam quinque et quadraginta annis actis in nostro regno discendi, affectit succurritque multis milibus non solum discipulorum sed etiam magistrorum omnibus fere in angulis nostrae ingentis patriae ubicumque lux Latinae tenebras inscientiae lucet. Decem annos apud universitatem in urbe capitali huius civitatis imperialis laborabat, mox se familiamque crescentem removit in loca amoena in ultimis finibus “Longginsulae” ubi in oppido celebranti Caput Fluminis velut Augustus Caesar ipse, pater patriae Romanus, magistris discipulisque linguarum externarum praecerat ac cohortem iuvenum rebus Romanis initiabat. Inde regressus ad domum priorem, urbem albam longamque, ubi magister navis Latinae in sua nobili civitate ob regentes insigni fiebat, quo in officio et tuebatur disciplinam nostram et in tempus nostrum gubernabat. Etiam libellos normarum clarissimos inquisitionesque iustissimas concepit et scripsit, quae salutem et usum fuerunt nobis fere omnibus. Creberrimi sunt praeceptores et discipuli quos adiuvit ille libenter comiterque, non solum apud nos, verum etiam apud alias gentes quarum linguis moribusque studet usque in otio. Etiamnunc docet et, more suo, vita fruitur plena gaudiorum mentis cordisque, et in numero amicorum habet nos omnes qui Latinam colimus. Plaudamus igitur Richard Gascoyne.

*Riverhead High School, N.Y.*  
*University of Maryland, College Park*  
*Classical World* 100.4 (2007)

JEFF GREENBERGER  
JUDITH P. HALLETT

## DORA KENNEDY

Mirabilem feminam honoramus, cuius nomen, in lingua Graeca dona significans, nobis esse videtur non solum omen, sed etiam documentum manifestum vitae liberaliter actae. Dat exemplum praeclarissimum donorum semper dantium.

Civitas capitalis quae celebrat, in nomine urbis praecipuae, repertorem Novi Mundi, hanc alumnam teneram nutrit, per primos annos discendi summis cum laudibus, et per primos annos docendi maximis cum laboribus, apud almam matrem suam. Sed haec civitas, libera civitas, tum hanc incolam novam fovit, et fovendo melior fortiorque fiebat. Adipiscens Gradus Magistrae Philosophiaeque Doctoris apud universitatem testudinibus insignem, servire discipulis magistrisque municipii principem cum agresti nomine commemorantis, incepit. Eminuit ut praeceptrix indolis magnae; procuravit studia complurum linguarum peritissime, plus sex lustris, merens dignitates numerosiores recensu propter res gestas.

Nunc iterum corroborat Universitatem quae eam formavit eruditique, nunc quoque maturat universitatem quam ipsa condidit, locupletans mentes cordaque doctorum doctarumque seniorum. Lingua Latina, primus amor, eam delectat et inspirat; sapientia gaudiumque, annis octo deciens et quinque confirmata, similiter nos delectant et inspirant. Plaudamus igitur Dora Kennedy.